

crines, ungues. Ex eâdem glande quercus, ex hâc truncus, cortex, venulæ, medulla, folia, fructus. Ex eâdem terra mille fruticum, herbarum, florum, fructuum, succorum, alimenta homini, aut medicamina suppeditantium, varietas exurgit. Sciunt non Botanici solùm, sed hortulani, etiam plebeji, triticum in lolium, ocymum in serpillum, rapas in raphanum mutari. Quot hîc quæso transmutationes, fermentationes, coctiones ac digestiones? Solâ sapientiâ Naturæ ex bombycis ovulo, papilio, eruca, & redintegrato circulo renascitur, quod erat ante. Ex aquis mineralibus & succis lapides, diversa mineralia, metalla oriuntur. Nullo artificio humano lapidescunt ligna; Ferrum induit naturam Cupri. Microcosmus ipse Homo terra est; revertitur in terram. Obvia quotidiè sunt hæc spectacula. Ut mirum videatur, cur ἀλλοίωσις & ἐτερογένεσις Metallico negetur regno. Sed ad rem, auxiliante Deo!

CAP. I.

DE

ARTIS METALLURGICÆ PRINCIPIIS AC FUNDAMENTIS GENERALIBUS.

§. I.

Artis Metallurgicæ tres species enumerant sagaciores; quarum *prima antiquissima*, à primis inde mundi conditi temporibus, non Patriarchis tantùm nota & *Ægyptiis*, sed ante eos, primo hominum *Adamo* non incognita;